

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

CVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

## C VI.

FRIDERICUS II. RESTITUIT IN INTEGRUM HERMANNUM V. MARCHIONEM BADENSEM CONTRA VIOLENTIAS HENRICI VII. ROMANORUM REGIS FILII SUL. CONFIRMAT QUOQUE CONCAMBIUM CIVITATUM ETTLINGEN ET DURLACH PRO PROPRIETATE IRMENGARDIS UXORIS EJUS IN BRUNSVIC.

A N N O M C C X X X I V.

*Ex autographo Badensi.*

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Jerufalem & Sicilie Rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris, quod olim presentes in Alemania meminimus obligasse *Hermanno Marchioni de Baden* fideli nostro civitates *Loufen*, *Sunneshheim* (a) & *Eppingen* pro duobus milibus & trecentis marcis argenti & in feodo sibi dedisse civitatem *Etteningen* (b) & civitatem *Durla* (c) in proprietatem pro bonis quæ sibi ex parte uxoris sue de proprietate in *Brunsvic* contingebant, juxta tenorem privilegii nostri exinde sibi indulti. Et quia per Virum illustrem Romanorum Regem *Henricum* filium nostrum coactus est de predicta

(a) Singheim in Palatinatu. (b) Ettlingen. (c) Durlacum.

cta summa remittere mille marcas & indultum nostræ celsitudinis privilegium resignare & quod civitates predictæ non tenerentur obligate sibi nisi pro mille trecentis marcis argenti. Nos volentes mandatum & obligationem nostram in sua sicut ante consistere firmitate presentis scripti autoritate mandamus, quatenus civitates predictæ obligationi duorum milium & trecentarum marcarum argenti subjaceant, & a modo teneantur sicut nobis in Alemania existentibus obligatæ fuerunt non obstantibus litteris ab eodem Marchione dicto Regi filio nostro factis. Statuimus igitur & mandamus quatenus nullus sit qui dictum Marchionem vel heredes suos contra presentis obligationis nostre paginam impetere vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignacionem nostri culminis se noverit incursum. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fieri & bulla aurea typario nostræ majestatis impressa jussimus communiri.

Datum apud *pretinam* (b) anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto mense Novembri octave Indictionis.

(b) Apud *Bretinam* villam Lotharius Imperator ex Italia rediens A. 1137. mortuus est, haud procul Tridento. DODECHINVS *Breduan*, CHRONOGRAPHVS SAXO *Bredunan*, Chronicon Montis Sereni *Bredinam* villam ad hunc annum vocant.